


Heinrich Georg Wüstney

**Spicilegia De Venaesectione In Morbis Adhibenda : Consensv Gratosi Ordinis Medicorvm In Academia Rostochiensis Pro Gradu Doctoris Legitime**

Rostochii: Literis Adlerianis, MDCCXCI.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004502702>

Druck Freier  Zugang



RU med. 1791

Wuestney, Henri Georg







SPICILEGIA  
DE  
VENAESECTIONE  
IN MORBIS  
ADHIBENDA.

---

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
*IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI*  
PRO GRADV DOCTORIS  
LEGITIME  
IMPETRANDO  
CENSURAE PVBLICAE SVBMISSA  
AB  
HENRICO GEORGIO WVESTNEY  
MEDICINAE PRACTICO TESSINENSI.



---

ROSTOCHII  
LITERIS ADLERIANIS,  
c1809.

1791

22. 3. 43.

am. Brandenburg. Schäffer

Louis Bremer.

Constat / Schill.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a title or header, but the characters are too light and blurry to transcribe accurately.

MEDICIS EXPERIENTISSIMIS  
DOMINO OERTHLING  
DOCTORI ET CIRCULI ROSTOCHIENSIS  
PHYSICO

DOMINO KRVEGER  
DOCTORI ET CIRCULI MALCHINENSIS  
PHYSICO

DOMINO MVHRBECK  
DOCTORI ET PRACTICO CELEBERRIMO  
DEMMINENSI

FAVORIBVS ATQVE AMICIS  
TESTIFICATVRVS REVERENTIAM

*D. D. D.*

A V C T O R.

UNIVERSITÄT  
ROSTOCK  
BIBLIOTHEK  
PHYSIKALISCHES INSTITUT  
ROSTOCK  
1870



## PROOEMIUM.

**E**x aegrorum allevatione, post haemorrhagias spontaneas, criticas, manifesta, idea venae sectionis enata videtur, qua demum adducti sunt Medici, ut curatius meditarentur id genus auxilii, eiusque periculum facerent. Quod etiamsi spem aliquando fefellerit, ut maxime promptum conspicuumque levamen non paucis deinceps aegrorantibus adferre, ita brevissimo tempore invalescere coepit. Indiem magis eoque facilius obstricti sunt huic remedio, quo leviori cogitatione morborum naturam et signa pathognomonica attigerunt, qui primam fecerunt medicinam. Etenim notionibus rerum minus iustus imbuti, atque in venae sectionis laude

quotidie confirmati, sanguinem omnium morborum fontem esse ac hostem ubiuis impugnandum iudicarunt. Quare per longum tempus de universali venae sectionis remedio ne dubitatum quidem est. Accidit demum, quod immaturis doctrinarum praeceptis non ita multo post accidere solet, ut medietabundi aliqui de sanguinis missione quaestionem moverent, et abhinc in diversas abirent sententias. Hippocrates et Galenus patronos se praebuerunt venae sectionis, qua imminui statuerunt sanguinis redundantiam, lege necessaria secretionis interruptentem. Contrariae fuerunt opiniones Helmontii, Casp. Hoffmanni, aliorum, qui redundantiam sanguinis rationibus licet non sufficientibus ducti omnino negarent ac venae sectionem reiicerent. Mansit aliquamdiu bipartita medicorum sententia, ut tamen plures pro V. S. militasse conspicuum sit quam contra. Medicina enim, uti dictum est, id habet cum aliis scientiis commune, quod aliquamdiu homines praetextis quasi oculis sequantur opiniones, quas pro veris habent, donec meditatione ac dubitatione eo adduci se sinant, ut istis substituunt sanioris ratiocinationis et empiriae principia. Praecipue hanc sortem nacta sunt Theologorum Medicorumque dogmata. Illa fere dicuntur conciliis ecclesiasticis, haec saepiuscule Medicorum, qui celebritate versantur, nomi-

nomine, et facultatum auctoritate fulciuntur. Iam venaesectionis vi universali diffidere coepit aetas nostra, id quod tam ex Medicorum scriptis, quam ex singulis medendi methodis satis superque constat. Quare mihi propositum est, quaedam stabilire principia, quibus circa V. S. utamur, dum habitum corporis universum eiusque compagem, et varias causas respicimus, quae cor irritare ac sanguinem redundantem simulare valent.

Causa primaria, ob quam in vena secanda parum liberaliores se praebuerunt ac praebent Medici, est quod ex signis quibusdam maxime fallacibus redundantiam sanguinis arguunt, quam si non aegritudinum causam principalem, tamen cooperantem, spectant. Quae redundantiae opinio me quidem iudice, si non perversae semioticae innititur, ex veterum Medicorum, Hippocratis et Galeni doctrina natales petit. Isti enim, non veram solum plethoram, de qua postea dicendi locus erit, sed etiam sanguinis redundantiam, quae qua talis homini detrimento esset, statuerunt; qui quidem siue fallacibus signis decepti, siue quocumque tandem principio, theoretico, practico, in hac sententia nixi fuerint, errarunt egregie. Videmus homines sanos, hilares, vini poratores, parum deditos laboribus, mensam epulis lautis et conquisitis instruentes,

in vtramvis aurem dormientes animo et corpore tranquillo, pulsu semper aequali, nihil profecto minus, quam redundantiam significante, ne multa: homines optimae valerudinis, qui vel numquam venam sibi secari curarunt, vel iam dudum evacuationem sanguinis neglexerunt. Huiusce vitae generis individuus comes esset sanguinis redundantia, quam Galenus redundantiam humorum in corpore, et Hippocrates το πλεον τῆς αἵματος vocat, si hominum sic se gerentium sanguis secundum ciborum et generis vivendi rationem copia increceret; hinc morbis necessario occumberent. Ast minime occumbunt. Alioquin ut sanitas integra constaret, istis hominibus venaesectioe pariter opus esset, ac infixae extractione festucae. Quod cum repugnat experientiae, tum ipsi Hallero physiologicè explicatu difficile foret, ut fere principio morali physico egeamus, quo Helmontius et Casp. Hoffmannus monstrarunt, hominem nimiam sanguinis copiam acquirere non posse, quoniam creator ceu ens perfectissimum nihil progignat in hac rerum natura supervacaneum. Sed mittam hanc argumentandi rationem, et periculum faciam, si forte simplice physices lege explicari possit phaenomenon, quod olim non parum negotii fecit bonis, Helmontio, Hoffmanno. Licet Tissotus in dubium revocet (Epist. ad Hal. p. 107. an sanguificatio cum corporis solidis conveniat,

at,

at, mihi tamen ex diuturna observatione accurata sanguificationis et partium corporis solidarum inter se relatio certa atque indubitata videtur; quomodo enim sanitas hominum supra commemoratorum, quibus quotidie, non obstante quotidiana fluidorum e corpore secessione, novum tamen et superfluum sanguinis incrementum accederet, quo inquam modo istorum hominum sanitas integra constaret atque illibata? Itaque sanguificationem quam accuratissime decremento corporis et partium solidarum respondere, mea quidem fert conjectura. Quod si non ita sese haberet, haud facile sanitatem laederet ac digestionem turbaret nimia stomachi impletio, quia haec superflua massa ope digestionis in sanguinem commutaretur, quod longe aliter evenit: nam specie materiae faeculentae foras reiicitur, vel morbis primarum viarum ansam praebet, qui ex vitio vel methodi medendi vel aegrotantium in secundas se vias propagant, et sic omnium, quibus laborant homines, morborum originem praebent.

Prius vero quam de venae sectionis applicatione in genere et in morbis quibusdam speciatim, pariter ac de occasionibus redundantiae speciem efficientibus, qua Medici in errorem venae sectionis inducuntur, sententiam meam aperiam, plethorae verae definitionem, quo rectius plethoram spuriam di-

gnoscamus, non alienum videtur praemittere. Est igitur vera plethora secundum Haller. Elem. Phys. Tit. II. p. 57. status sanus, quo omnes oporteret homines frui, perpauci fruuntur. Cui bonus appetitus est, qui bene concoquit, qui profundo et vires resciente somno detinetur, qui animo tranquillo est, cui compages firma et in genere facies sanitatis vigore suffusa, quadrat in eum redundantiae et firmae valetudinis idea. Quae vero consummatam hanc sanitatem parant, eminet inter ea laboriosum vitae genus. Hinc homines, qui hanc imaginem referunt, inter plebeios inveniuntur, quibus natura perfectiorem sanitatis statum pro vitae conditione remuneranda attribuisse videtur. Similiter qui effrenatae et indomitae libidinis damnis immunes sunt, progenie gaudent sana atque in omnem posteritatem valetudinis vim ac virtutem devolvunt. Haec igitur plethora verae sanitatis effigiem sistit, quae in abundantia globulorum rubrorum ponitur quaeque tantum abest, ut vniquam per se morbos progignat, ut iis magis resistat et functionum tenorem, constantiam ac facilitatem praestet. Swieten. Comm. T. II. p. 152.

Per se, inquam, plethora morbos generare non valet, sed specialibus causis e. g. motu animi, corporis, nimis vehementem-

hementibus, liquidis spirituosis aliisque vitiis  
 diaeteticis accedentibus ita commoueri po-  
 rest (quo quidem modo redundantiae species  
 oritur) ut pessimi eam effectus, scilicet in-  
 flammatio, vertigo, haemorrhagiae, etc.  
 sequantur et cum his eximia ad quaedam  
 aegritudinum genera diathesis ac sanitatis de-  
 trimentum. Tum vero ad avertenda mala aut  
 si inciderint vehementiam eorum mitigandam  
 maximam habet vtilitatem venaesectio: ita  
 enim procul dubio deprimitur impetus snis  
 et orgasmus, quodque strictum est et com-  
 pactum, laxatur et dum majus venoso syste-  
 mati spatium redditur, vis fortioris impulsus  
 languescit. Hinc tales aegrotos post venam  
 sectam continuo subleuatos videmus, immo  
 per saepe morbum hac unica operatione ali-  
 quando omnino solutum: licet prout res pa-  
 titur, repetenda sit vltio aptisque remediis,  
 quorum enumerationi superfedeo, adiuuanda.  
 Contrarius huic sanitatis statui, plethorae, in-  
 quam, sanguinis defectus est, quem facile co-  
 gnoscas. Quodsi homines cernis specie ex-  
 tenuata et habitu laxiore atque magis irrita-  
 bili, quorum valetudo toties fere ac tem-  
 pestas mutatur, his parum nec tantum,  
 quantum satis est, inesse, sanguinis iudicato,  
 eumque verum dicito defectum. Nam in  
 communi fibrarum atonia et systema chylifi-  
 cationis aegrescit, quare vis vitae bonum san-  
 guinem, ob boni chyli defectum exhibere

NON

non potest: cum insuper, teste Hallero Mem. sur les part. sens. T. II. Sect. 9. nervorum cooperatio ad digestionem necessaria sit. Quamvis vero boni sanguinis defectus obtineat, certum est, hunc ipsum perpaucum saem in motum propelli vsque adeo posse, vt aliqua oriatur redundantia. Causae, quae veram plethoram movent, idem efficiunt in sanguinis defectu, eo tantum discrimine, quod hic aliae etiam in corpore subsint conditiones, quae commotioni favent. Atonia enim, quaeque eam plerumque excipiunt abdominis stases, irritabilitas ac spasticae constrictiones id parum sanguinis per se commovent, quia iis libera circulatio impeditur, vnde accumulationes in quibusdam corporis partibus proficiscuntur. Cum necessaria in illa vera ac commota plethora venaesectio est, tum maxime perniciofa in spuria. Nam dum de pauculo etiam, quod aegrotantibus superest, sanguinis deminutio fit, subducitur his reliqua virium sanitatis particula et cum hac saepe omnis convalescentiae spes. Quod tamen saepius accidit, dum Medici redundantiae sanguinis, eiusque egerendi illecebris irretiuntur. Casui ego quidem interfui, ubi nobili matronae valde imbecilli, irritabili, hystericae, Medicus magni nominis, posteaquam, ut ipse assererat, per duo nychthemera, quam opem ferret, meditatus erat, denique venaesectionis consilium dedit in pede absque

que balneo instituendae. Cum autem hac ratione venae pedis tumescere nollent, quia parum illud sanguinis, quod superstes erat, in abdomine potissimum et capite haerere videbatur, denique ad balneum confugit Medicus. Statim venaesectio cum calida, multo concitatioem reddidit sanguinis motum, indeque spem proximae salutis portendere Medicus. Exhibuit deinde remedium ex Cort. peruv. ℥. i. Aqu. simp. ℥. viii. Syrup. Capill. ven. ℥. i. cochleatim alternis horis sumendum. Vires naturae medicatrices pygmaeam iuvarunt medicinam; evanuit paroxysmus hystericus; mansit vero matrona imbecillis, immo multo magis aegrotavit. Omnia igitur, quae imbecillitatem et irritabilitatem corporis augent, quae sanguinem reddunt tenuiorem, ac globulos ipsi rubros subducunt, quae digestionis vim minuunt, ne multa: omnia quae efficiunt et augent plethorae spuriae stimulum, vertigine, venis turgids, faciei rubore etc. conspicuum, evitanda sunt et inter haec potissimum Phlebotomia. E contrario obiecta, quae sanguinem condensant, cruorem augent, vasis sanguiferis tonum et corpori vires reddunt, et, si abdominis obstructio adsit, resolventia, tonicis coniuncta, maxime necessaria sunt. Pertinent huc balneum frigidum, aqua Pyramontana, cortex peruuianus, limatura martis, extracta amara, sapo etc.

Quae

Quae haecenus de vera plethora, vero sanguinis defectu et de venaesectionis in his casibus applicatione disserui, mea de venis secandis in genere cogitata probant: compages scilicet solidorum firma ac species sana, verae plethorae indicia, et habitus laxior, magis irritabilis, plethorae spuriae signa, meam semper determinarunt curandi rationem, et quam bene in ea re actum fuerit, expertus dico. Evenit non raro, ut medicus vinculis quasi circumvinctus aliam ab illa medelam instituat, quam saniozem iudicat, idque ipsum circa venaesectionem accidit. Vt sanguis mittatur, plerumque in primis votis aegrotantium est, et Medicus ne fidem amittat, subinde obtemperat aegris, quorum salutem sua ipsius existimatione antiquiorem habere debebat. Quam pertinaciter adhaerent homines opinionibus perversis, ii non nesciunt, qui vulgo faciunt medicinam; at vero culpa in ipsos fere Medicos redit, quorum nonnulli venaesectioni nimiam laudem tribuere, eamque ad aegrotantium accommodare opiniones solent.

Restat vt de morbis in specie dicam, ad quos adhiberi venaesectio temere solet. Quorum primo loco

#### A. FEBRES INFLAMMATORIAS

nuncupo. Nullibi vividiore sanguis deprehenditur orgasmo constitutus, quare species

cies redundantiae sanguinis vix magis fallit in alio aegritudinum genere. Sanguis, qui interclusos canales libere circumire non potest, maiori vi ad libertatem nititur, ideoque auget inflammationem et cum hac morbi vehementiam. Hinc vero omnia proficiscuntur, quae sanguinis redundantiae speciem effingunt, symptomata: vehemens et mordax calor, dolores capitis, pulsus plenus et velox, anhelatio, anxietas, pectoris incommoda. Aegroti maxima ex parte cutem siccam habent, febre tenentur, frigoris et caloris alteratione manifesta, somnus est turbulentus, praesto est febrilis debilitas. Causa huius morbi est acre stimulans, quod vel ipse sanguis phlogisticus, vel aliud quodcumque peregrinum et systemati arterioso infensum praebet. Hisce in morbis venaesectio simpliciter necessaria putatur idque de iure aliquo modo; sed in his quoque sub quibusdam conditionibus omittenda mihi videtur. Ad meam in hac re experientiam prouoco. Praeprimis vero notari meretur, tam imbecillos quam robustos homines his morbis esse obnoxios, quorum habitus prouti vel robustus erat vel laxus, me quidem vel invitavit ad venaesectionem vel ab ea deterruit. Robustis igitur aequae ac plethiacis venaesectio aptissime convenit et eius repetitio saepe maxime necessaria est, quia corporis robore sanaque sanguinis plenitudine congestio ad partem

tem laesam augetur, inflammatio vehementior et in genere aegrotantium status deterior redditur. Optimae notae effectus statim se oculis produunt: pulsus remissior mollior, respiratio liberior, mitior febris. Morbus ipse ita quidem non profus devictus est, quia venaesectio palliative duntaxat agit et stasis inflammatoria aut causa morbifica post missionem alia remedia postulat, quibus penitus tollatur. At aeger allevationem sentit non mediocre, unde spes convalescendi eximie increfcit.

In imbecilli aegrotato res aliter se habet. Inflammatio enim ob carnem laxam et sanguinis penuriam ad eum, in quem robustiorum inflammatio, gradum non evehitur, ideoque venaesectionem non solum non utilem, sed nocivam expertus sum. Plerumque non ita multo post aeger sudare ac vires coeperunt prosterni. Pro universali igitur remedio in febribus inflammatoriis V. S. agnosce-re nequeo, quoniam expectationem et spem meam sefellit; hinc loco venaesectionis vesicatoriis utor, quae proxime loco affecto applicata et iusto ambitu votis meis semper respondent, dum per irritationem intus stagnantem humorem commovent, resolvunt ac foras alliciunt, (Müller, Balding. Magaz. 6 Tom. part. 6.) simulque decoctum hordei cum citri succo largiter potandum exhibeo.

Mor-

## B. PLEURITIS BILIOSA.

Morbum hunc esse saburralem, ex ipsa denominatione constat; nec repente ingruit, sed prodromos habet torporem quemdam, somnum inquietum, deficientem paulatim appetitum gradatimque decrefcentes vires.

Ita magis magisque innotescit atque ingrauescit, licet ab origine vix et ne vix quidem perspicias morbi naturam. Lingua impura, dolor lateris praecipue dextri, gustus amarus, ad vomitum procliuitas, distentum abdomen, putrida subinde excreta spontanea et serpens dolor inter humeros signa constituunt pathognomonica. Causae huius morbi admodum variae sunt: iracundia, refrigeratio, diaetae vitia, saburra primarum viarum biliosa, quae irritatione stomachi et viscerum consentientium sanguinis impetum movent, unde vehemens calor, dolores capitis, concitator cordis motus, celer pulsus, rel. signa redundantiae sanguinis oriuntur, quae fallax venae secundae indicium porrigunt. Corporis habitus, iuxta quem venae-sectionem aestimandam deque ea statuendum iudicavimus, in hoc morbo numquam non laxus deprehenditur atque infirmus. Nec mirum, cum, ut antea dixi, pleuritis lente incedat, ideoque aeger, etiamsi antea sanus et plethiacus fuerit, iam debili laboret corpore, cui nec iusta sanguinis copia nec vires

=

digestioni infervientes suppetant. Sequitur, venaesectionem in hoc morbo eiusque speciebus non prodesse, sed etiam obesse. Nec solum atonia corporis hanc vetat operationem, verum etiam ex hacce ratione noxia est, quia vena secta in morbi primordio semper perniciosus gignitur sudor, quo sanguis vitatur, unde maior putrefactionis gradus eoque maius periculum enascitur. Et tamen plures casus novi, ubi non ab imperitis solum Chirurgis, sed a Medicis in detrimentum aegrotantium adhiberi tum venaesectio solebat; quare egregie monet Mellin. mater. medic. p. 249. „non facile alio peius abutuntur remedio, quam venaesectione. Quotidianae nos docent experientiae, permultos venaesectione repetita in cacochymiam, hydropem et phthisin sese praecipitare.“ Quod ad pleuritis biliosae attinet curam, quis ignorat, evacuante, antibiliosa, Tartar. emet. pulvam Tamarind. Cremor. Tartar. Sal. mirabil. Glauber, Rhabarb. etc. medelam absolvere? rel.

### C. HAEMORRHAGIAE.

Nisi ad amissim originem et causas haemorrhagarum inquiramus, eo facile inducimur, ut sanguinis redundantiae occurramus; cuius idea per illam de vase nimis repleto ideoque superfluyente, enascitur.

Tan-

Tantum vero abest, ut sanguis redundans semper, ut plerumque verus sanguinis defectus ejusque laxa et phlegmatica compages haemorrhagiarum causam sistant. Adeo raro in vere plethoricis occurrunt haemorrhagiae, nisi vehementibus animi et corporis motibus, liquidis spirituosus ac fortibus sanguis fuerit concitatus: et tunc plerumque naturam haemorrhagia oritur, malorum effectuum expers, modo de tempore bullitus vehementia per venae sectionem aliaque praecipitantia remedia coerceatur. Testimonia Werlhofii, Platneri, quod probare studui, suffulciunt, scilicet plethoram veram haemorrhagias magis impedire, quam promouere. Sed in subiectis infirmis proclivitas ad eas invenitur, quae quidem est in atonia corporis et vasorum sanguiferorum nimia irritabilitate, spasmis, obstructionibus abdominis et in laxiore ac phlegmatico sanguine. Confusio, quae ex his generatim in corpore totoque systemate nervoso oritur; canales obstructi, sanguinis circulationem impediunt, eo facilius in aliis corporis partibus sese accumulantis et ob parvam vasorum sanguiferorum resistentiam facile viam sibi aperientis; sanguis laxior et phlegmaticus bullitum facile excitant, quae omnia haemorrhagias gignant necesse est, quibus sani et piehiaci ob istarum causarum defectum minus obnoxii sunt. Quem-

admodum igitur imbecillis aegrotusque status in se iamiam ad haemorrhagias secum ducit diathesin, ita si huic causae externae, scilicet vehemens animi motus et generatim omnia sanguinis bullitum excitantia se associant, inde facillime proficiuntur haemorrhagiae. Sic nuper in aegro, molli et leucophlegmatici habitus, cui imbecilla sunt organa digestionis, haemorrhoidalibus congestionibus obnoxio, post pediluvium ortam haemoptisim ego quidem animadverti. Sic notum habeo iuvenem infirmum, qui vehementem sibi narium haemorrhagiam modica parit motione.

Cum maxime praestat in haemorrhagiis ex vera orientibus plethora venaesectio, tum perniciofa et contraria sanguinis in defectu et in genere tum est, vbi in corpore iamiam existit haemorrhagiae nimia facilitas. Hacce augentur operatione cum imbecillitas tum irritabilitas et spasmi, qui sanguine deminuto factoque serosiori maiores redduntur et plures. Venam igitur secare inutile et detrimentosum habendum est remedium, multis ex rationibus absolute vitandum, quia alioquin haemorrhagarum recidivarum tabes, hydrops, phthisis et peripneumonia certissimi erunt comites. Iam ad diversas haemorrhagiae causas remedia quoque adhibenda sunt diversa, ad  
imbe-

imbecillitatem roborantia, resolventia ad obstructionem viscerum. De usu Elixir. acid. Haller. et aluminis bonos semper vidi effectus. Omnem salutarem morbumque frangendi vim continet species prima. Densat sanguinem, praefocat eius bullitum, corroborat et irritabilitatem et spasmos repellit; (Haller. Zimmermann. Astruck. et Mellin experientis suis hocce confirmant.) et alumen utiliter adhiberi potest, de quo Dn. D. Willich, quae ipse expertus cognita habebat, publicavit, eidemque remedio Mellinus cum Astruckio parem meritam laudem contribuit.

#### D. APOPLEXIA.

Ex magno morborum coetu, quibus obnoxii sunt homines, vix alius talem, qualem apoplexia, terrorem incurit, quae postulat igitur, ut omni ope contendamus, quo velocissime aut auertamus imminens malum aut si inciderit vincamus. At causae ancipites dubiae ac controversae apoplexiae hactenus non permittunt radicale auxilium, quod tuto offeras. Inter multa, quae fecerunt pericula et quorum alterum alterum depulit, unicum V. Stionis periculum salvum se praestitit ad diem hodiernum. Ratio haec mihi videtur, quod morbi naturam posuerunt in redundantia sanguinis versus encephalon; at quoties spes venae sectionis sefellerit, quis-

B 3

nam

nam edifferat? Qui apoplexiae curam habuerunt, Medici, non denegabuunt huius rei testimonia. His quidem efficitur, contra quam V. Stio adhiberi solet, causam saepe non praesto esse, sed longe diversam. Quae consideratio tandem eo me duxit, ut et ipsi remedio et causae, contra quam eo utuntur, diffiderem. Et cum apoplecticos curandi occasio mihi esset, observationes meas in eis instituere haud fuit difficile. Semper fere apoplecticos diaetam haud curantes, Bacho et Veneri deditos et subinde haemorrhoidibus, calculo et arthritide laborantes idque ea aetate, cui sanguinis versus caput congestio minus congrua est, equidem deprehendi. Ex quo concludere licet, apoplexiam saepius materiali imi ventris causa per nervos abdominis in cranium consensuali lege agente aut ibi iamiam deposita excitari, ac vera sanguinis accumulatione. Ad aliquo modo probandam conclusionis meae nervositatem ex multis, quae suppetunt, exemplis unum duntaxat omnium instar proferre licitum sit mihi. Vir quidam matrimonii expers XLV. circa annorum, cholericus sanguinei temperamenti, adversae valetudinis gratia me advocavit. Aeger de gustus amaritudine, vomituritione et cephalalgia conquerebatur, et conceptam gelu morbi causam indicabat. Aderant hic omnia colluviei biliosae in primis collectae

viii

viis indicia. Praeterea abdomen valde expansum erat, et anxietas praecordialis vitae eum pertaesum sciebat. Statim ego quidem ob expansum abdomen et ad inquinamenta evacuationi aptanda, digestivum destinabam, quod vomitorium optimi effectus sequebatur. Praecordiis detumescens ita bene se habuit, ut postero iam die cubitu surgeret domoque egrederetur. Neque igitur necesse erat praescripta evacuantia continuare. At vitae immodicae atque irregulari assuetus, genio eo usque indulgit, ut ipsam aquam vitae sumeret. Praeterlapsis nonnullis diebus iterum me arcessivit. Sed dici vix potest, quantum deterior aegri conditio! Mentis inops, torvo vultu et oculis, sterrente respiratione collapsisque brachiis vir paucis ante diebus extra periculum se esse arbitratus apoplectico, ut ovum ovo similis, ad agendum ineptus lecto incumberebat. Ego percontatus de inopinato hoc casu statim, quod de novo secutus esset vitae genus, comperi. Hoc igitur, praeterquam quod cognitum iam morbum habebam, causam apoplexiae quam accuratissime mihi indicabat. In omnibus signis diagnosticis solam morbi notionem secutus venaesectione abstinui et Tarr. tartarisati usum commendavi, quem alvi dejectiones crebrae ac largae insequerentur. Abdomini iterum expanso cataplasma ex herbis emollientibus cum sapone veneto, capiti frigidis

gidas fomentationes ad Schmuckeri consilium imponi iussi. Duas circiter tresue horas continuavit paroxisumus, et aeger in vitam quasi revocatus oculos circumtulit. Cum iam aliqua eluceret spes, aliud incidit idque, videbatur, multo periculosius. Debili evanidoque oculorum obtutu, oculo horrido atque instabili, in peius omnibus conversis, obtremuit atque in rabiem incidit; at haec ipsa fuerunt salutaria naturae medicatricis molimina. Tribus circiter vel quatuor horis praeterlapsis fractae sunt morbi vires et melior valetudo recurrit. In remediis iam pergeret suasi, donec omne corpus fuerit expurgatum.

Quamvis vero ipsa experientia satis superque edoctus sim, quam plurima apoplexiae genera a materiali abdominis nervorum irritatione proficisci, nulla tamen ratione eundem morbum ex vera sanguinis accumulatione in cerebro nasci negare ausim; sanguis enim suis occasionibus commotus in cerebrum omnino urgeri potest. Puellam secui, cui sanguis menstruus propter conceptum frigus extremitatum inferiorum versum cerebrum raptus apoplexiam paraverat. Nusquam alibi, quam in vasis cerebri tumidis causae apoplexiae vestigia fuerunt exploranda, ut venaesectione iusto tempore applicata, persuasum mihi fit puellae huius vitam servatam fore. Ad normam in genere definiendam

endam, ex qua praxis in apoplexia institui possit, necesse praecipue est, ut casus considerentur, in quibus vel irritatio materialis, vel vera in cerebro accumulatio sanguinis existet. Vtroque in casu ad habitum hominis respicere oportet. In haemorrhoidibus, calculo, arthritide — colluvie biliosa primis in viis collecta, ut in antea narrata morbi historia, venaesectio cautionem magnam desiderat, aut omnino admitti non potest: ubi autem debilitatis nullum indicium est et aeger antea sanus fuit, sanguineus, non est quod dubites venam secare. Non unam apoplexiae causam statuentes veteres variis pro varia causa ipsam nuncuparunt nominibus; at venaesectio primum semper et principale fuit remedium, quo, licet frustra per saepe, ad finem propositum se peruenturos sperarent.

Ecce meam, saluo aliorum iudicio, de venaesectioe apoplecticorum sententiam, quam neutiquam in animo est lectoribus dictare eorumque menti obtrudere. Viros duntaxat magni nominis de medicinali scientia bene meritos, quorum auctoritas sententiis pondus addit, de hac re tam delicata statuere decet. Ego principales morbos, in quibus adhuc adhiberi venaesectio solet, perlustrare conatus sum. Numerus eorum omnino multo maior est, sed reliqui forma tantum differunt, non essentia; quam ob causam

principia antea stabilita ad ceteros haud aegre transferuntur. In describendis medendi methodis verborum ambagibus uti nolui, neque enim mihi propositum erat specialem tradere therapiam, sed ad naturam cuiusque morbi et causam, itemque ad indicia essentialia digitum intendere, quatenus inde de adhibenda aut refugienda venae sectione sanum ferri posset iudicium. Reliquum est, ut statum, quo venae sectione abuti solent, medium inter sanitatem ac morbum; graviditatem puto inquiramus.

### E. GRAVIDITAS.

Ex praekoncepta opinione venae sectionem ducunt maxime necessariam gravidae utcumque se habeat, hinc matres, mater terae ac propinqui grauidas, ut mori antiquo satisfaciant, medicis fere secundis adhortantur. Quam venae sectionem methodicam multum saepe detrimenti afferre, nemo non intellexerit, qui cogitaverit, penam sanguinis carere non posse nutritionem foetus atque incrementum. Matres plethiacas, sanas, progeniem sanam edere et vice versa quotidie videmus. Quod terra succulenta vegetabilibus, id foetui sanguis praestat, et procul dubio, omnis qui futurus est foetui status a copia aut inopia liquidi huius vitalis pendet. Nihilominus minus naturae dotes effundunt, gravidis pariter ac soboli ad valetudinem firmandam  
ita

ita necessarias quam quod maxime. Sub conditione venaesectionem grauidis vtilem ac necessariam esse, non nego; quae si deficiat, omnis venaesectione praeseruatoria inutilis erit, quia sine vlla necessitate foetum alimento, quo indiget, priuat, nec satis scimus ea matrem cura egere. Quaedam grauidarum imbecillitas, cuius causam in sanguine inueniri credimus, facile nos fallit, cum eius causae plerumque ex foetus motu aut saburrae reliquiis proveniant. Ipsa praeseruatoria venaesectione, qua abortus impedire volumus, inutilis est, quia primo vera plethora per se nullam affert causam, cur adhibenda illa sit, secundo, quia defectus sanguinis noxius est, tum vero quia abortus ex posito foetus et secundinarum, ex ratione ductus vmbilicalis aut ex foetus externa pressione proficiscuntur. Novi mulierem iam ter quaterve abortitam ob nimiam ductus vmbilicalis longitudinem. Aliam etiam novi, cui praecipua, ne quidquam durante graviditate abdomen attingat, cautione opus est. Riverius casum narrat, quo grauidae, quae saepe iam partus inchoatos ediderat, per omnes graviditatis menses, venam secuit; peperit omnino et ut credo per accidens infantem vivum, sed ut opinandum erat infirmum et imbecillum. Vbinam gentium Medicus eum imitabitur? Mellin mater. med. p. 247. Ad applicationem venaesectionis accurate determinandam  
habi-

habitum corporis respiciamus, necesse est. Robustis sanis carnosis et sanguineis interdum expedit e. g. si sani sanguinis massa per vehementem animi et corporis motum in nimis velocem circulationem conversa sit, ex qua inflammatio, haemorrhagiae et abortus nasci possunt, aut si membrorum tremor abortus sit. Quo celerius venaesectio succurrimus, eo minus mali exister. Plane tollere malos graviditatis effectus, idem est ac sibi a noxiis motibus cavere. Qui autem cum ob domesticas et alias relationes, in quibus gravida versatur, non semper sint evitandi; operam dare nos oportet, ut effectus nisi plane tollamus, ad minimum tamen tolerabiles reddamus: atque hoc efficit certissime venaesectio, si aliis tantum remediis coniungatur ad rem pertinentibus. E contrario in habitu laxiore, ubi foetus praeterea iam caret alimento, inexcusabile est, si venaesectio sub specie quoque redundantiae sanguinis, tam matris quam foetus infirmitatem augeamus. Principale, cui gravidae semper expositae sunt, vitium est colliuvies cruditatum in abdomine. Et foetus ipse, qui comprimit intestina adeo, ut nunquam omni materia excrementitia liberare se possint, segnities gravidarum ad motum, angustus ac parvus de parturitione successura animus, qui alium tardiozem reddit, concurrunt ad hoc vitii genus. Hinc gravidis his  
aut

aut ter, durante graviditate, laxans exhibeo,  
quo fit ut plura incommoda ex latente in-  
quinamento oriunda non experiantur, ac puer-  
perae a purpura, sepsi alia, fere immunes se-  
tueantur.

F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.






53.028.487  
LS











the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TZ63 Serial No. 031

in quod maxime. Sub condi-  
tionem grauidis vtilem ac ne-  
on nego; quae si deficiat,  
praeseruatoria inutilis erit,  
assitate foetum alimento, quō  
nec satis scimus ea matrem  
aedam grauidarum imbecil-  
am in sanguine inueniri cre-  
os fallit, cum eius caussae  
etus motu aut saburrae reli-  
Ipsa praeseruatoria ve-  
ortus impedire volumus, in-  
mo vera plethora per se nul-  
m, cur adhibenda illa sit,  
efectus sanguinis noxius est,  
ortus ex positu foetus et se-  
ratione ductus vmbilicalis aut  
na pressione proficiuntur.  
iam ter quaterve abortitam  
us vmbilicalis longitudinem,  
vi, cui praecipua, ne quid-  
aviditate abdomen attingat,  
st. Riverius casum narrat,  
quae saepe iam partus in-  
at, per omnes graviditatis  
secuit; peperit omnino et ut  
ens infantem vivum, sed ut  
t infirmum et imbecillem.  
n Medicus eum imitabitur?  
ned. p. 247. Ad applicatio-  
onis accurate determinandam  
habi-